

Stahlius in Tab. Metaph. & Explicat. eorundem, postea tamen in opere ipso non observat; Observat verò Scheiblerus, Burgersdicius, Gilbertus Jacchæus & alii. Multoq; id minus hac ratione, ut doctrina de Substantiis incorporeis præmittatur ac subjiciatur doctrina eorum que pariter corporeis & incorporeis insunt, uti Nicol. Taurellus apud Scheiblerum.

non 6. In duas Disciplinas, quarum altera sit Metaphysica Generalis, pertractans Entis naturam, Affectiones & Inferiora nempe Substantiam & Accidens; Altera Specialis dicta Pneumatica, que agat de Substantia excludente materiam: quod facit Arnold. Sengverd. in Idea Metaphys. secutus Benedictum Pererium lib. 1. de Phil. c. 6. & 7. Quæ sententia ferè in modo tantum loquendi à nobis discrepat, ac propterea cæteris haud parum est anteferenda.

Sed 7. In duas equidem partes, quarum tamen altera sit Universalis s. Communis pertractans Naturam Entis & communes Affectiones, quibus facilioris doctrinæ causa præmittitur nominalis Entis evolutio; altera Particularis Specialis & Propria, que considerat Entis contractum ad sua Inferiora, in quantum adhuc Transcendentia sunt; cætera vero suis quæq; Disciplinis assignat & remittit. Vid. Scharff Paul. Voët. & alii.

Dec. IIX. Quod ad Finem & Usus Metaphysicæ attinet, non est is 1. Tradere veram & Salvificam Dei cognitionem, & accendere Sp. S. lumen: uti delirat Keckermannus lib. 1. Syst. Theol. cap. 4. p. 57. Item lib. 1. Præcog. Phil. cap. 4. p. 8. quem frustra Vedelius in Opusculis Disp. part. 1. & Maresius p. 7. Syst. Theol. excusare ac defendere conantur. Ita quoq; Goelenius part. 1. Miscell. in præfixis Commonefactionibus.

non 2. Tradere regulam & normam ac principium dogmatum Fidei ac Mysteriorum: quod contra Socinianos, Pontificios, & Calvinianos haud paucos notandum est, quorum aliqui expressis verbis, aliqui praxi ipsâ dogmata Fidei; Rationis, ad quam procul dubio ac præcipuè spectat Metaphysica, decempeda dimensurare conantur: ut videre est ex Ostorodo in Instit. p. 42. Catechismo Racoviensi p. 33. p. 48. 55. 65. &c. Smaltzio Præfatione contra Frantzius, Bellarmino lib. 2. de iustit. cap. 7. & 13. de Eucharistia cap. 22. item in Præfatione de Sacr. Eucharist.